


University of Memphis  
Language Fair 2023  
Latin Translation  
Level III

**DE SIMONIDE NAUFRAGO**

*This is a paper-and-pencil translation (3 hrs. max.). The use of a Latin-English dictionary is allowed; however, participants must not use any online tool.*



Homo doctus in sē semper dīvitiās habet.

Multa ēgregia carmina Simōnidēs poēta scripsit quī urbēs Asiae nōbilēs peragrans et dē āthlētārum victōriīs canens magnās mercēdēs accēpit: postquam arte suā locuplēs<sup>1</sup> factus est, in insulam Ciam<sup>2</sup>, patriam suam, revertere statuit et nāvem ascendit.

Sed horrida tempestās et navigiī vetustās in mediō marī nāvem dissolvērunt. Ceterī zōnās<sup>3</sup> pērāsque<sup>4</sup> argentī ac aurī plēnās, velut vītāe subsidia<sup>5</sup>, collegērunt; Simōnidēs autem nihil sumpsit. Hominī cuīdam cūriōsō quaerentī cūr poēta suās dīvitiās nōn caperet, dixit cuncta sua esse sēcum.

Tunc multī cum gravī onere natāntes in aquīs dēmersērunt et vītā amīsērunt; paucī tantum ēnatāvērunt<sup>6</sup>, sed postquam ad lītus Clāzomenārum<sup>7</sup> incolumēs pervēnerant, praedonibus occurrērunt, quī omnia bona ā naufragīs servāta rapuērunt et ēx locuplētibus egentēs eōs fecērunt.

Clāzomenīs autem Simōnidēs salūtātus est magnā cum admirātiōne ā quōdam homine doctō, quī semper carmina Simōnidis legēbat; ille cupidissimē poētā ad sē recēpit: convīvium parāvit, et veste, nummīs, familiā hominem exornāvit.

Paulō post Simōnidēs ceterōs naufragōs stipem ac victum<sup>8</sup> petentēs vīdit et iīs: “Periit - inquit - quod<sup>9</sup> vōs ē nave rapuistis, ego autem nullā re careo, quia, ut dixī, mēcum cuncta sunt.”

Haec fābula Phaedrī poētae docet hominēs in sē dīvitiās habēre et pecūniam nihilī aestimandam esse: sapientia enim, doctrīna scientiaque sunt vēra bona, quae hominēs meliorēs faciunt. Dīvitiae autem et alia externa bona nōn manent neque ūtilia sunt in vītā mortalium.

*(adapted from Phaedrus, Fabulae Aesopiae, IV, 22)*

<sup>1</sup> locuplēs -ētis adj. = dīves

<sup>2</sup> Cia/Cea-ae = insula maris Aegaeī

<sup>3</sup> zōna, -ae = cingulum, sacculus

<sup>4</sup> pēra, -ae = saccus, sacculus

<sup>5</sup> subsidium -ī = auxilium; subsidium vītāe = quod vītā servat

<sup>6</sup> ēnatāre = natandō sē servāre

<sup>7</sup> Clāzomenae -ārum, pl. = urbs Asiae est

<sup>8</sup> victus -ūs (< vivere) = cibus

<sup>9</sup> quod = id quod